

πi
2460

Q.K.4

D
FA
nici
C

FR

H
â R
lio f
dici

Hic

AK.



II i
2460

DE FANIN

FAVENTINI, AC DOMI-
nici Bassanensis morte, Qui nuper ob
Christum in Italia Ro. Pon. iussu
impie occisi sunt.
Breuis Histo-
ria.

FRANCISCO NIGRO, BAS
SANENSI AVTORE.

Hinc agnoscere poteris Lector, quid
à Romanensium Episcoporum Conci-
lio sit expectandum, quum, qui illud in-
dicit Papa, talia publicæ Christianæq; cau-
sæ præ iudicia in medium pro-
ferre audeat.

Hi cum Agno pugnabunt, & Agnus
vincet illos. Apoc: xiiij.

M. D. L.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

17. D. 11
POLICE KANTON
MILITÄRISCH

17. D. 11

D
ac
pe

tu
vn
fer
os
inf
me
da
ade
oco
ma
bus
lup
du
gre



DE FANINI FAVENTINI

ac Dominici Bassanensis morte, Qui nuper ob Christum in Italia Rom. Pon
iussu impie occisi sunt.



Vilius, III. Romanus
Pontifex optime lec
tor: orbi nunc plenis
buccis liberum concili
um pollicetur, verum
quā id ex animo faciat,
vel hinc facere coniec
turam potes, quod eos, qui suam salutem
vni Deo per Iesum Christum acceptam
ferunt, hostiliter a deo crudeliterq; per su
os persequitur, vt aliquos etiam, qui ab
infelicis memoriae Paulo, III. qui proxi
me ipsum praecessit, eandem ob causam
damnati olim, carceribus includebantur
adepto statim pontificatu, miserabiliter
occidi iusserit. Neq; illis pepercerit hu
manissimus, vt videri vult, Pastor, qui
bus antea pepercerat etiam saeuissimus
lupus. Huius igitur impietatis exēpla hic
duo cōscribere libuit, vt quā hęc, ipsa cō
gregādi Cōcilij publicæ causę prejudicia
B ij cognoueris

rognoueris, quale ipsius Concilij iudici-
um futurū sit facile coniectare, vel po-
tius pro cōperto habere valeas. Quum
itaq;) vt hinc narrationis initium su-
mam (Faninus quidā ex Aemiliae oppi-
do Fauentia oriundus annis ab hinc tri-
bus Ferrariae ob id modo, quod Chri-
stum seruatorem vnicum profiteretur,
ab Antichristi ministris inquisitoribus,
quos vocant, in carcerem ductus, ibidē
seruaretur, post alterū suae captiuitatis
annum ab eisdem inquisitoribus capitis
damnatus est: Attamen quia nondum
venerat hora eius, in proxime prae-
teritum hunc vsq; mensem viuum eum con-
seruauere, quo demum tempore Iulio
III. imperante, ac suis Bullis id es-
tante occisus est. Caterum pridie eius
diei, quo illi obeundum erat, Nuncius
quidam ipsum his fere verbis allocutus
est: Vidit, inquiens, accurate Papa tuae
causae Acta quumq; plurimas in his hae-
reses inesse deprehenderit, ob eas ipsas ti-
bi per me nunc moriendum esse, nuntia-
ri voluit. Atq; is, qui haec referebat
illum adhortabatur, vt quae contra Ro-
manam

manam dixisset Ecclesiam, reuocaret,
quo simul corpus atq; animam suam ser-
uare posset. Ad hæc Faninus respondit,
suum sibi corpus non admodum curæ
esse quippe pro Christo id amittere, sa-
lutis haud quaquam dubius animæ para-
tus esset. Cepitq; deinde tanta spiritus
vehementia Dei verbum huic annunci-
are, vt is confusus ac lachrymans demū
inde abierit, Faninum sanctū esse homi-
nem affirmans: E carcere igitur quū ille
discessisset, flexis Faninus genibus sup-
plex per horam integram ardentissimas
preces ad Deum fudit, moxq; a precibus
ijs quosdam, quibus cum antea plureis
menses in carcere egerat, conuenit: Ii ve-
ro quū ea, quæ paulo ante Fanino nun-
ciata fuerant, optime scirent, atq; inde
non mediocrem dolorem concepissent,
vehementer illum etiam atq; etiam cum
lachrymis rogabant, vt in vxoris libero-
rumq; gratiam vitæ suæ tanto in discri-
mine consulens, ea quæ dixerat reuoca-
ret. Nam ita futurum, vt & viuere & fa-
milix suæ curam habere posset, quam si
vitam cum morte commutasset, fortu-

A iij nae



næ casibus expositam, penitusq; deserta
tam ab omnibus reliquisset. Hic bo-
nus ille vir tacitus ad hæc verba, cogita-
bundus aliquantulum permansit: Sed
postea ad eos, qui hæc a seipso hunc in
modum contendebant conuersus dixit.
Ne quæso dubitetis fratres, Dei bonita-
tem ac misericordiam multo quam ab
hominibus existimari possit, maiorem
esse, ac ipsa rebus meis aderit præsens.
Quamquam mea quidem caro vestrorum
ad verborum stimulos egregie suum offi-
cium fecerit, ac nisi Deus, qui suos Ele-
ctos nunquam deserit, auxilio mihi ad-
fuisset, facile fieri poterat vt affectibus
illa suis indulgens, non abnuisset viuere
non enim mihi veniebat in mentem,
hoc pacto corporis gratia, quod breui
putrida vermium esca futurum est, ani-
mam occidi. Verum Dominus ob-
cordis oculos verbum mihi suum propo-
nens effecit, vt agnoscerem, quod quis-
quis Patrem, aut matrem, aut vxorem,
aut Liberos, aut aliquid aliud pluris q̄
ipsum fecerit, ipso dignus non erit. Sic
igitur benigna ipsius manu leuatus, li-
benter



benter iam cupio dissolui, & esse cum
Christo.

Rogo autem vos in Christo Fra-
tres, ne amplius hac de re mihi verba fa-
ciatis: Imo si vlla in vobis caritas est, si
vere Christum agnoscitis, mihi gratula-
mini, ac Dominum precamini, vt eam
mihi perseverandi vim donet, qua po-
ssim ad martyrium fortiter alacriterq; ac-
cedere. Huius itaq; concaptivi hæc audi-
entes neq; lacrymas continere, neq; illi re-
spondere poterant, adeoq; dulcibus ar-
debant flammis, vt vna cum illo morti
omnino peroptarent.

Nam velim scias optime lector Fa-
ninum hunc quamdiu carcere fuit ni-
hil aliud effecisse, quam Christi benefi-
centiam ijs ostendere, qui cuiusuis delicti
causa eodem in loco detinebantur, vt
quotquot inde aliquando exirent ver-
bo Domini recte instructi, Christum ex
animo profiterentur. Vide obsecro qui-
bus vtatur instrumentis ad conuertens

A iiij dos

dos homines ad Christum Deus. Iam,
vt ad propositum redeam, Monachus
quidam in carcerem profectus Faninū
interrogauit, an criminum suorum exo-
mologesim facere, suisq; hæresibus abiur-
ratis ad Deum reuerti vellet. Cui Fani-
nus respondit, se sua Deo confessum esse
peccata, nec se vlllo modo hæreticum
esse sed Christianum: Nihilo secius ta-
men, quo superbix vitium euitaret se li-
benter cum eo collocuturum, ac peccato-
rem se quemadmodum erat, facile con-
fessurum esse: Atq; ita multis de rebus
Christianam fidem concernentibus age-
re inter se cœperunt, Monachosq; tandē
per Faniniū adeo factum est satis, vt
inde abiens ijs qui erant in carcere dixe-
rit videri sibi Faninum omnino sanctū
esse hominem. Atq; vtinam, inquit plu-
res huiusmodi reperirētur Fanini Chri-
stianorum enim catus beati sic forent.
Fanninius porro per totā noctem nihil
aliud quam preces ad Deum fundere, li-
bereq; concionari perrexit. Qui ve-
ro aderant, vt eum consolarentur, nun-
quam hominem interpellantes Dei ver-
bum

bum ex ipsius ore intentissime excipiebant, nec profecto ex ijs aliquis inuentus est, qui non profusissimas emiserit lachrymas, ac summo dolore de ipsius interitu sit affectus.

Deniq; quum hora, qua ad supplicium deducendus erat, aduenisset, e carceribus exeunti ligneus crucifixus, quem vocant, vt in huiusmodi re fieri solet, ob latus est: Atq; is, qui crucifixum hunc gestabat, Fanino eum deosculandū proposuit: Verum illi Faninus dixit, nihil sibi opus esse ligneo huiuscemodi frusto, quod hominum manibus eam in formam redactum erat quando quidem verum illum Crucifixum, qui pro peccatis suis satisfecerat, seq; ab inferis liberat, in pectore gestaret: obnixeq; ipsum orauit, vt Idolum illud ab oculis suis amoueret. Sedenim quum aduentante iam aurora forum versus, vbi supplicium de eo sumendū erat, duceretur e Flaminia Prouincia quamplurimi, qui tunc Ferrariae fictilia ex ipsorum aduecta patria, vendebant, hunc ipsum comitantes

A v **vehementer**

vehementer dolebant quod is animo tã
obdurato neq; vxoris, neq; Liberorum
vllam memoriam haberet, quos & pau-
peres & humani auxiliij vndecunq; in-
dignos reliquebat: Quibus ille respon-
dit, vxori ac liberis suis optime proui-
sum esse, propterea quod eos omnes cui-
dam commisisset, qui passurus non esset,
aliquid illis vnquam deficere. Quumq;
interrogarent ij, cui nam commissi foret,
Deo inquit, ipsorum Patri, ac Iesu Chri-
sto fratri.

Libere omnia atq; animose sine ti-
moris alicuius indicio loquebatur, ac sub-
inde repetebat. Rogo te Pater, quæ tua
bonitas est, ijs qui meæ mortis causa sũt
ignoscas. Compertum sane mihi est, nõ
nullos existimar esse recte facere, quum
eos occidunt, qui tuum nomen profiten-
tur, nõnullos vero Christiani sanguinis
adeo esse avidos, vt etiam si norint, ini-
que me morti esse destinatum, nihilomi-
nus id non tantum æquo animo fieri, sed
etiam lubenti patiantur: tu tamen opti-
me Pater omnibus parcas oro. Atq; alia
quidem

quidem plura liberius loqui desiderabat,
Nam commissum illis fuerat, vt ne Fani
no verba facere permitterent. Quum
autem ad supplicij locum deniq; ventum
esset, Carnifex ipse Faninū iniuste dam-
natum esse conspiciens, inde aufugere
voluit: Verum Faninus ei reuocato au-
dacter dixit, Tu vero quod tui est officij
fac obsecro, nam neq; tibi id crimini assa-
cribetur, & ego id ipsum ex animo tibi
condono: Atq; ita demum infelix pri-
mo suspensus, postea combustus est nō
absq; ingentibus eorum omnium, qui a-
derant lachrymis: Cæterum ex vni-
us modo Christiani morte atq; interitu
quamplurimos, qui pie Christum confi-
teantur, exortos esse constat, & qui Dei
misericordiam summopere commendā-
tes, maximas eidem habent gratias, quod
e tenebris in admirabile lumen ipsius
vocati fuerint,

Non ita multo post, eodem nimirum
Septembri mense, quo hæc Ferrariæ ge-
sta sunt, Placentiæ quoq; aliud haud dissi-
mile huic exemplum, accidit: Id vero
huiusmodi

huiusmodi extitisse perhibetur. Dominicus a Domo alba Bassanensis ciuis fuit, (est autem Venetiæ Oppidum, Bassanū mea patria) Is Germanico bello Carolū v. Cæsarem secutus: Euangelium apud Germanos demum didicit, Mundiq; statim seposita militia, vni Deo per Iesum Christum militare cœpit, atq; identidem multos quæritans, qui se magis ad huiusmodi doctrinam instituerēt, breui plurimum in vera atq; exacta Euangelij cognitione profecit, in præsentem vsq; Annum Sanctissimo fœnore optimum censum semper augens: Quo quidem anno demum Neapolim profectus, Inde q; cōcionandi munus auspiciatus, quamplurimis Italiæ Urbibus intrepide Christum vel in ipsis plateis annunciauit, atq; Antichristi technas multo cum fructu gaudioq; retexit.

Placentiam deniq; Septembri mense quum etiam peruenisset, in forum illico ingressus, publice concionari cœpit atq; in ibi de auriculari Confessione, de Purgatorio, de Indulgentijs, vt vocant, alijsq;

usque huiusmodi de rebus ad religionem
attinentibus frequenti populo, maxime
que intente quam fieri potuit, liberrime lo-
cutus est.

Postea die reuersus, de Iustifica-
tione, deque Fide atque Operibus egit. Mis-
sam quoque quam vocant obiter attigit,
sed se diffusius ea de re tertia concione
locuturum, ac simul Antichristum ma-
nifestissime ostensurum pollicitus est.
Igitur die tertio, quum in idem Domi-
nicus redisset, malus Daemon, qui ferre
non poterat, ut precipua ipsius Idolatria
primariusque Minister suis picti coloribus
in medium proferrentur, suos ibi satellites
excitauit, qui totum hoc negotium in-
terturbarunt. Nam accedens Licetorum
Præfectus Dominicum e suggesto
descendere, ducique in carcerem iussit. Ille
autem iubenti respondit, se paratum esse
cere quicquid vellet, neque inuitum in eum
se locum ingressurum: Et mira-
bar sane inquit, in hanc usque horam
Christianæ concionis impedimenta Sa-
tanam protulisse. At absentis igitur E-
piscopi Vicarium ductus, latinis verbis
interrogatus.

Interrogatus est, an Sacerdotis officio
fungeretur, & a quonam concionandi
veniam nactus esset, Dominicus vero
latini sermonis ignarum se esse Italica
lingua respondit, nec se papisticum esse
Sacerdotem, sed Iesu Christi a quo etiam
velut a Pontifice summo ad concionan-
dum inauguratus esset.

Insuper ab eodem quaesitum est, num-
que aduersum Romanam concionatus
esset Ecclesiam reuocare, an firma rataque
habere vellet, hisque additum, illi morien-
dum esse nisi recantaret. Verum is auda-
cter ac sine vlla trepidatione respondens,
compertissimum sibi esse dixit, quicquid
publica concione asseruisset adeo esse ve-
rum, ut mortem ob id quo veritati te-
stimonium ferret se neutiquam depreca-
turum affirmaret, quin Deo potius gra-
tiam habiturum, si pro ipsius gloria sibi
moriendum foret. Ab his autem in car-
cerem ductus, multis per quosdam Mo-
nachos adhortationibus agitatus est, ut
quibus in locis publice fuerat concio-
natus, in his minime se verum dixisse fa-
ceret.

teri vellet. Ad is id se facturum constā-
tissime renuit, malleq; se interire, quam
Christo vale dicere asseueranter obte-
status est.

Igitur postero die, quum in Forū
vbi suspendendus erat, deductus esset,
Ibi contemptis Papistarum superstitioni-
bus, quæ plurimę tunc illi, vt fere fit,
offerebantur, intensius Deum rogauit,
vt suis Intersectoribus, propterea quod
ignorarent quid facerent, parcere digna-
retur. Ac sic admirabilem prefeferens
letitiam, summumq; fruendi Christi desi-
derium miselli corporis infelicem vitam
clausit. Annos natus plus minus trigin-
ta.

Quo quidem exemplo, vt maxima
mortales quamplurimi cōsolatione affe-
cti sunt, ita profecto summa dignum ad-
miratione videri possit, Monachos quos-
dam Dominicanos, qui præcipue Chri-
stum in præsentia persequuntur adeo
stupidos insensilesq; esse, vt ad hæc
miranda Dei opera nequaquam exci-
rentur

917 2400
rentur. Et quum ne minimum quidē in
commodi, quo suas ipsorum sectas ve-
ras comprobent, sufferte Parati sint,
Alios tamen, qui quam ipsi profitentur
doctrinam, & veram & Christi esse, vel
ipsa morte confirmant, acerrime perse-
quantur. Faxit in gloriā suam
Deus, vt aliquando resi-
piscant.

Clauennæ, Pridie, Kalen. Nouemb.

Anno.

M. D. LI.



ē in
ve
int,
atur
vel
rfe

nb.


Pon II: 2460, QK

ULB Halle

3

001 964 801






B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue



Q. K. 416, 15.

II i
2460

DE FANIN
FAVENTINI, AC DOMI
nici Bassanensis morte, Qui nuper ob
Christum in Italia Ro. Pon. iussu
impie occisi sunt.
Breuis Histo
ria.

**FRANCISCO NIGRO, BAS
SANENSI AVTORE.**

Hinc agnoscere poteris Lector, quid
à Romanensium Episcoporum Conci
lio sit expectandum, quum, qui illud in
dicit Papa, talia publicæ Christianæq; cau
sæ præ iudicia in medium pro
ferre audeat.

Hic cum Agno pugnabunt, & Agnus
vincet illos. Apoc: xiiij.

M. D. L.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
ALLE
(8AALE)

Q. K. 425.